DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XV. MARTII.

M. JACOBO DE BOURGES, Doctore Medico, Præside.

An ſtatim à cœna ſomnus?

LABORIS & ſomni neceſſarias vices dum dividit, ſalutariter componit, quotidiana interponendi cibi conſuetudo. Horum trium, laboris, ſomni, & cibi, ut diſſimilis facultas, ſic diſpar uſus eſſe ſolet, & diverſa cujuſque uſurpandi tempora, ex proprio vitæ inſtituto definienda, & ratô ſemper ordine obtinenda, ſi ad unam benè valendi rationem exigantur: opportunum inchoandi operis tempus, cùm excuſsâ ſomni gravitate, & ſimul cum ſole experrectis, nova oboritur alacritas ſponte laborem occupans: hunc aliquandiu quidem perferre neceſſe eſt ei, qui optat ſuam ſibi ad valetudinem prodeſſe induſtriam; ita jejunis, aut manè leviter paſtis ſolidi diei labor innocens: largiore verò prandiô inſtitutum opus abrumpere mox retexendum, rem omnium inſaluberrimam: ergo corporis paſcendi differenda hora, & fames ferendo obſonanda eſt. Optimum vivendi genus eorum, qui nihil aut parùm pranſi, laborem & diem liberaliori cœnâ claudunt: dummodò ne ingeſtos cibos corrumpant intempeſtivè vigiles, ſublatis dapibus, & remotâ menſâ ſtatim ſecedant, quietem animo, otium corpori daturi. Ambo unà acquieſcere, & quieſcendò adſuetum munus ut præſtent denuò corroborari, ſummum & præcipuum ſomni beneficium eſt.

MAGNA eſt hominum ab labore atque cibo ad ſomnum proclivitas, attamen ille ſive longus, ſive brevis, ſive altus, ſive levis, nunquam bis in die optandus, ſenibus etiam metuendus, quos ſæpiùs ſollicitat. Tanti ſanorum intereſt ſomnum, ut proſit, capere tempeſtivum: hunc autem tria faciunt, cauſa, locus, & tempus. Cauſa, naturæ ad ſomnum vocantis vis & conſilium, apud nos, dum valemus, omnia ex æquo & bono agentis. Locus, in quo molliſſimè compoſito corpore dormiturus jaceat, ἀθυλπέως ἀειγέως: utram in aurem dormiat nihil refert: omnis juvat ſanum decubitus cuicuimodi ille ſit. Tunc verò dormiendi tempus inſtat, cùm exhauſtis & quamprimùm inſtaurandis viribus, ne omninò fatiſcant, apta adeſt materies quam cibus obtulit, quæque primis viſceribus contenta, utiliter in his adornari & perfici ſine ſomno nunquam poteſt.

RERUM labore feſſis quæ propior jam imminet ſomni imperioſa vis, ſi quando ſtatim à cœna inſtet, huic ultrò occurrendum eſſe natura ſuadet: nam à ſomno, illa robur animumque ducit, & vires ingeminans, ad omnia intùs peragenda lætior accedit. Lautior cœna fuit, atque oblatos jam corpus tenet cibos, ſed plures, ſed crudos eò diutiùs futuros, & ideò cuivis corruptelæ magis obnoxios, quò lentiùs coquuntur, procul ab eis avocato calore, & ſicut in vigilia mos eſt foris diverſante. Ut primùm ſomnus advenit, calor intrò totus ad cibos redit, & nullum paſſus excidere vacuum coctionis tempus, primâ nec levi operâ, ſic coquendos adoritur, ut cruditate poſitâ, confeſtim prodeat ſpiritus alimento inſitus, & alendi corporis ſpiritibus σύγγενης, qui unâ juncti promovere pares ſunt perfectæ chyloſeos artificium. Hinc demùm alius atque alius cœnæ & ſomni fructus, dum enim ſubitò cibi & caloris confluxu fervet coctionis opus, uberior ab alimentis humiditas erumpit, quâ vicina viſcera perfundente, ſuperſtes laboris æſtus reſtinguitur, incitati ſanguinis motus comprimitur, atque calore eò meliùs accurante, quò citiùs conceptis cibis incubuerit, jam jam ſomnus affatim paraverit, unde diurna virium diſpendia brevi reparari poſſint.

NON modò ſomnum tempeſtivum, quæ paulò ante præivit, cœna facit, ſed etiam durabilem, & qualis ad conſummatam coctionem tenendus, longum & altum: ubi enim calor cibos attingit, ſursùm ab illis mittitur halitus craſſiuſculus; & quò recentioribus è cibis admittitur, eò minùs ſolubilis, quò mens & ſenſus obligati juſtum concedunt ad quieſcendum ſpatium. Atqui hæc eſt vera & proxima naturalis ſomni cauſa, cætera quæ extrinſecùs adveniunt, ſomni incitamenta, quia brevem, quia levem, vel intempeſtivum, vel inutilem accerſunt, & ſæpè à rebus innoxiis non innoxium. Quem cantûs ſuavitas, quem, frondium, ſtrepitum modulantis favonii aura, aut lenè fluentis aquæ murmur otioſis auribus inſuſurrant, brevior & levior quàm reparandis viribus ſit idoneus. Æſtivo die & flammas latrante caniculâ frigidiori in loco obdormiſcere, vel jacentem fulciente roſâ, inſidioſum eſt: item vacuô cibis corpore conſopiri, aut conſopitum ad menſam accumbere culpâ non vacat. Vis cubitum eò diſcedere, quò te laſſum atque intra legem cœnatum legitimæ ſomni cauſæ provocant, nuſquam omnes commodiùs unum in locum coituræ, unus eſt ſtatim à cœna ineundus lectulus, ſed ut jucundus ſit & ad virium inſtaurationem ſtratus, liber liberum adito.

QUI ſomnum ſtatim à cœna obrepentem eluctando vigilare annititur, parùm ſomni & vigiliæ in uſu prudens, utrique impar, nec vigilantium agilitatem ſervat, nec dormientium tranquillitatem obtinet: at mox imperatæ ſibi vigiliæ compos; quem longè diſpulit, vel totam noctem oculis ſuis ſomnum non videbit, vel ſerum capiet, & ut cœnam edormiat, brevem nimis: hinc frequens & inopina ſobriorum crapula, hinc macies & febrium cohors, atque cætera, quæ cruditatem vigiliæ ſobolem, hoc eſt, longum cœnæ & ſomni diſſidium comitantur, ſymptomata: haud paulò quidem graviora, quàm quæ conceptus inter fercula, neque diu diſſimulatus ſopor intulerit; illa univerſum naturæ fundum depopulantur, caput petunt: hæc Medicus facili arte ſubmovenda ei præſtiterit, cujus cœnæ & ſomno præfuerit.

Ergo ſtatim à cœna ſomnus.



Aſſerebat Lutetiæ MARCUS ANTONIUS HELLOT, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXXIV.